



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

V. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. MARIA ad nives hodie agitur, tecto enim per noctem prodigiosis nivibus colle, ubi sibi templum à Joanne Patricio Romano condi vellet, ostendit; quod nunc MARIÆ Majoris dicitur, imagine à S. Luca pictâ celebre, multis piorum devotionibus frequentatum. *Canisi.* Si in corde tuo castæ sunt nives, est templum MARIÆ.

O Sanctissima DEI Genetrix tuis obsequiis quidquid sum & habeo, omne id devoveo, tibi animæ meæ curam testamento lego, intercede pro me apud Filium, ut ejus sanguine peccata mea super nivem dealbentur. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: MARIÆ Majoris iconem hodie venerabor, aut si hujus sit defectus, affectus meos Romam usque ablegabo.

Materna B. V. pietate defendit & protegit homines adhuc peccatis deditos in se sperantes, donec eos Filio suo reconciliet veraciter poenitentes. *S. Gertr. rev. l. 4. c. 49.*

Quæstio: Cur candore præ aliis coloribus Deip. delitietur?